

sum quod habet in ea, perinde ac si præsens esset, cujus verba sunt: *Si quis metu ruina discesserit de possessione, siquidem cum adjuvare rem non posset id fecit, Labco scribit, integrum jus eum habere perinde ac si in possessione perseverasset*, & ad hoc eum notat ibi Angel. de Perus. in princip. & ad hoc reputat eum singularem Paul. ibi, n. 2. & ad hoc enim dicit fortè non alibi Imol. in princ. & dicit singul. Roman. ibi in princ. & etiam Angel. in leg. Peregrè, §. fin. in fin. ff. de Acquir. posses. Paul. de Caltr. in leg. 1. 2. col. C. eod. tit. Imol. ibi, 4. col. in fin. & Alexand. ibi, n. 63. Pro qua subtili sententia, ultra prædictos DD. facit text. in leg. *Si colonus*, eod. tit. ubi dicit text. quòd si colonus animo non deserendæ possessionis exit de fundo, adhuc locator retinet per eum possessionem naturalem; & sic colonus retinet in absentia suam detentationem, mediante qua locator conservat suam possessionem: & ad hoc illum text. notat ibi Paul. in princip. in leg. Peregrè eod. tit. Contrariam tamen sententiam tenent plures, imò, quòd detentatio sit meri facti, & nullo modo retineatur in absentia: Ita Bart. in leg. 1. ff. de Acquirend. posses. 5. column. in princ. num. 13. & in fin. column. & quæst. num. 27. optimo fundamento & ratione: & idem tenet Raph. Cuman. ibi, 4. column. & Roman. notab. penult. column. vers. ult. Circa hoc adverte, Jas. 19. col. num. 86. & in hoc residet Vincent. etiam 24. column. num. 81. ubi latius quàm alius tangit: idem etiam tenet Franc. de Rip. 12. col. num. 44. Et istam tenendo, non obstat text. ille singularis in quo se fundabant primi DD. in dict. leg. *Si finita*. §. *Si quis metu*. ff. de Damno infecto. Quia text. non dicit, quòd ipsa detentatio retinetur in absentia; sed quòd ipsum jus causatum ex detentatione iudicis autoritate data, hoc est pignus prætorium, non amittitur, sed retinetur etiam in absentia, & poterit per hypothecariam ipsam rem & ejus custodiam & detentationem consequi, & à quocumque revocare, ut in leg. 2. Cod. de prator. pignor. & in leg. Non est mirum. ff. de Pignor. actio. & ita respondet Bart. & DD. ubi suprà, licet imò non ita clarè; & respondet Cuman. expressè in d. §. *Si quis metu*, in princ. imò ille text. probat istam opinionem secundam, ibi: *Perinde ac si in possessione perseverasset*: nam præsupponit, quòd detentatio & custodia non duravit, sed jus quæsitum ex ea durat. Item apertius probat hoc ille text. in fin. ibi: *Restituendum eum in possessionem*, nam apertè dat intelligere quòd eam perdidit; & ita ponderat & intelligit ibi Raph. Cuman. in princ. qui no-

(e) Gloss. in dict. leg. 1. verb. *Possessio*, de *acquir. possessione*. Quartam addit Jacob. de Ravenn.

tab. loquitur. Secundò non obstat text. in dict. leg. *Si colonus*, quia ibi non dicitur, quòd animo colonus retineat detentationem; sed quòd animus non deserendi rem, sed reddendi, quamvis actualiter non detentet, facit, ut dominus & sic locator non desinat possidere, ne absentia coloni sibi sit nociva: ita solus Vincent. ibi, 27. column. num. 77. Sed tamen prima opinio est magis communis & tenenda.

Adde tamen in hoc unum notabile & subtile, quòd si detentator est in conspectu, vel de proximo, conservat suam detentationem, sicut naturalis possessio juncta cum civili conservatur: ita solus Angel. in leg. *Clam possidere*. §. *Qui ad nuditas* 1. column. num. 2. eod. tit. Ex qua sententia & conclusione sic verificata infero, quòd si detentator esset in absentia rei, & sic nec in re, nec in conspectu, nec prope rem, & esset dominus verus rei, non posset ex aliquo titulo transferre dominium in alium per clausulam constituti, cum nec possideat, nec detentet. Sed majus dubium & valdè subtile esset, si detentator & dominus rei esset in ipsamet re, vel in conspectu ejus, vel propè, an per constitutum posset transferre dominium? Et certè ego tenerem quòd sic; quia illam detentationem videtur deinceps tenere loco & nomine alterius, ut in leg. *Quod meo nomine*. ff. de Acquir. posses. cum ratione text. & materia: sed sola detentatio nuda cum titulo habito à domino non sufficit ad acquisitionem domini; ergo, &c. de quo articulo infra latius dicam.

Item adde quòd probata detentatione censetur probata possessio, nisi ex adverso probetur aliquid de superioribus, ex quo resultet quòd solum detinet & non possidet, de quo per Gloss. & Doctor. in leg. *Stipulatio ista* §. *Hac quoque*. ff. de Verbor. obligat.

Aliud dixi quòd est possessio juridica, de qua principaliter est sermo noster; & magistratè & resolutivè dico, quòd possessio est *jus insistendi rei non prohibita possideri*: quam definitionem ponit Bart. in leg. 1. 2. column. ff. de Acquir. posses. quam ibi sequitur Alexand. 4. col. num. 13. qui latè eam prosequitur, & salvat ab impugnationibus aliorum: Socin. 6. column. in medio, versic. Circa secundum, Jas. ibi, 8. col. num. 35. Vincent. 12. column. num. 51. qui latè loquitur ab 11. column. num. 31. usque 22. column. ponendo novem, vel decem definitiones Antiquor. & Modernor. & rationes, & impugnationes cujuslibet; (e) & tandem dicit, quòd nulla quæ assignatur, vel quæ assignari pos-

possit, satisfaciet, nec in omnibus & per omnia convenit; sed quòd definitio Bartol. videtur minus periculosa; quam communiter sequuntur Interpretes, (f) istam etiam tenet Salycet. in leg. *Licet*, eodem titul. 4. column. in princip. & istam tamquam brevem & perfectam approbat Anchar. in cap. *Pastoralis de Causa posses. & propriet.* 2. column. in medio. Et ista & communis est opinio, secundum Franc. de Rip. in dict. leg. 1. 6. column. n. 26. & idem in rubr. extra, de causa posses. & propriet. 1. column. in princip. qui remissivè ibi ponit 14. definitiones, & ultra addit aliam suam: Unde, meritò dixit Glos. in leg. *Stipulatio ista*. §. *Hac quoque*, in verb. *Stipuletur de Verbor. obligation.* quòd possessionem peritissimi non sunt ausi definire. Et inter prædictas diversas definitiones reperio quòd *lex 1. titul. 30. 3. part.* approbat expressè definitionem Gloss. & Azor, quam posuit in dict. leg. 1. gloss. 1. verb. *Tu dic*. Sed certè illa non est definitio possessionis producta in esse & jam formata, sed cum est in fieri, & inesse producit; & illa non est possessio, ut statim dicam. Vel aliter & melius potest per me sic definir: *Possessio est, jus habendi, retinendi, atque recuperandi rem, præsumptionemque domini inducens, fructusque percipiendi, atque usucapiendi, & præscribendi conditionem.* Nec obstat, quòd definitio non debet fieri ab effectu: Quia imò melius denotat substantiam rei definitæ, & nulla est ferè materia quæ non habeat ejus definitionem ab effectu. Sed omissis omnibus, dico, quòd si rectè inspicatur quælibet definitio in effectu & substantia tenendum ad idem, licet per diversa verba.

Sed tenendo definitionem Bart. quæ est in se vera & communis, ejus verba declaro pro

intelligentia totius materiæ, & ut ex hoc aliqua resultet utilitas. Ideò autem dico quòd possessio est *jus*, quia non est idem quòd ipsamet res in qua habetur possessio, licet quandoque appelletur possessio, ut in leg. *Interdum*. ff. de Verbor. signific. & in leg. 2. Cod. de Probat. in princip. & in leg. *Cum res*, Cod. de Contrah. empr. & in leg. 2. Cod. de Fidejuss. minor. & in leg. *Siquidem*. Cod. de Donat. inter virum & uxorem & in leg. *Quoties*, versic. *Si igitur*, &c. Cod. de Rei vindic. Item & secundò, ideò dicitur *jus*: quia possessio non est detentatio nuda; cum illa potius sit facti, quàm juris, ut suprà latè dixi in argumenti detentatione. Item & tertio, ideò dixi in definitione, quòd possessio est *jus*, quia ipsa corporalis apprehensio, vel ipse actus verus vel fictus per quem apprehenditur ipsa possessio, non est possessio, sed tantum est actus meri facti: ita est textus qui sic debet intelligi in leg. 1. §. *Adipiscimur*. ff. eodem titul. in fin. ibi: *Eam rem enim facti non juris esse*, text. in eadem leg. 1. §. *Si vir uxori*. ibi: *Quoniam res facti*, &c. text. in leg. *Denique*, in fin. ff. *Ex quibus caus. major*. text. in leg. 1. §. *Scavola*, ibi: *Quæ facti & animi*. ff. *Si quis testam. liber esse juss. fuit*. text. in leg. *Possessionem pupillum*. ff. de Acquirend. posses. ibi: *Quod enim facti est*, &c. text. in leg. *bona fidei*. §. *In contrarium*. ibi: *Illud ad factum pertinere*. ff. de Acquirend. rerum domin. Sed ex illo actu vero vel ficto resultat & causatur ipsa possessio, de qua in præsentia loquimur; & illa, postquam est acquisita, formata, & producta in esse, est jus intellectuale & invisibile, non factum; & illa est quæ hic definitur: Et quòd sit *jus*, probat textus expressus in leg. *Peregrè*. ff. de Acquirend. posses. post princip. ibi: *Jus possessionis*, &c. (g)

Tex-

venn. triginta refert Constantinus, in princip. institut. de usucap. ex num. 2. aliam refert Alciat. in leg. quæst. ff. de Verbor. significat. & in tract. de quinque pedum præscript. num. 86. aliam Connan. lib. 3. Commentarior. cap. 3. num. 2. aliam Petr. Gregor. 1. part. syntagmat. cap. 13. n. 5. aliam Bolognetus in dict. leg. 1. num. 152. de quibus videndus est Medicis de Definitionibus, diffinit. 66.

(f) Teste Jas. in dict. leg. 1. num. 32. Rip. num. 26. Bologneto, num. 558. Covarrub. in Reg. posses. in initio 2. partis, num. 3.

(g) Jus vel factum est minus controversum, non solum inter Interpretes, verum etiam inter Jurisconsultos: factique esse probat text. in §. *Adipiscimur*, & in §. *Si vir uxori*, leg. 1. ff. de Acquirenda possessione. text. leg. *Denique*, juncta leg. sequent. ff. *Ex quibus caus. majoris* in leg. *Si is qui pro emptore*, in princip. ff. de Usucapion. in leg. *In bello*, §. *Facta*. ff. de Capt. leg. 1. §. *Scavola*. ff. *Si quis testament. liber esse jussus fuerit*, leg. *Possessionem pupil.* ff. de Acquirenda posses. leg. *Bona fidei*, §. *In contrarium*, ibi: *illud ad factum*. ff. de Acquirendo rerum domin. quorum jurium argumentum hanc sententiam defendit Bartol. num. 12. in leg. *Si is qui pro empt. ff. de Usucapion.* Roman. num. 9. Alciat. num. 26. ibidem, & in tractatu de Quinque pedum præscript. num. 4. Belengarius Fernand. in §. *Nihil commune*, cap. 1. num. 63. Corne. in Rubr. de acquirenda possessione, num. 3. Bolognetus in dict. leg. 1. de acquirend. posses. num. 83. Connan. lib. 3. Commentariorum, cap. 3. num. 1. Contrariam tamen sententiam, & sic possessionem jus esse, probat, præter jura

18 *Textus in leg. possessio quoque, in princip. eod. tit. text. in leg. Cum heredes eod. tit. ubi dicitur, quod omnia jura hereditaria transeunt in heredem, excepta possessione: ergo possessio est Jus; cum exceptio debeat esse de regula; text. in leg. Nemo, in fin. Cod. Iste tit. ibi: Super jure possessionis, &c. text. in leg. Non idem minus, in fin. Cod. de Lib. caus. ibi: Inconcusum jus possessionis obtinebit, text. in leg. Si ea res, §. final. ibi: Qui prior jus ejus apprehenderit. ff. de Action. empr. Et istam doctrinam & declarationem ponit Bartol. in dict. leg. 1. 2. column. in medio. Paul. de Castr. 1. column. in fin. num. 6. Alber. 2. col. in med. Imol. 1. column. post. med. Aret. 4. column. in med. num. 13. Cuman. ibi, 2. col. Alexand. 3. column. num. 11. Socin. 5. column. in fin. vers. Circa tertium, Vincent. ibi notabiliter, 6. column. n. 31. Francisc. de Rip. 6. col. num. 26. idem in rubr. de caus. posses. & prop. 2. column. num. 6. Bartol. in §. Adipiscimur, ejusdem leg. & ibi Paul. notabiliter, num. 3. & Jas. num. 13. & fin. column. num. 23. Petr. in leg. Licet, 3. column. Cod. eod. tit. Bartol. in dict. §. Si vir uxori, in princip. Aretin. in leg. Clam. possidere. §. Qui ad nundinas. 1. column. in fin. idem Aretin. in leg. Quemadmodum eodem titul. 1. col. num. 3. & ibi Docto. Segur. 7. column. versicul. Et illud. Confirmatur ista communis opinio & declaratio; quia sicut ex contractu, (qui est facti, ut in leg. Consilio, §. fin. in fin. ff. de Curat. furios. ibi: Quia solutio, venditio, traditio magis facti quam juris sunt) resultat obligatio juridica, & exactio, ut in leg. Licet. §. Ea obligatio. ff. de Procuratorib. & ibi communis doctrina, & in princip. Institut. de action. Præterea, sicut ex actibus, moribus, & usibus, (qui sunt meri facti) resultat ipsa consuetudo formata, & in esse producta, quæ vocatur jus, ut in leg. de Quibus. ff. de Legib. & ibi tenet & declarat Bartol. in 1. lectur. 2. col. prope fin. & in fin. col. idem Bartol. melius in repetitione 3. col. n. 6. & ibi Paul. 2. col. n. 5. melius quam alibi Alber. ibi, 10. column. n. 16. & ibi communis schola. Anton. de Butr. in cap. fin. de consuetud. §. Missa materia, 2. column. in princip. & ibi Cardin. in §. Licet, 10. col. 6. quæst. num. 14. & est communis intelligentia: Ita ex actu vel modo apto, & à leg. determinato ad acquirendam possessionem, quæritur, & resultat ipsa possessio, quæ est juris; & ita se habet*

à nobis hic allegata, text. in leg. Peregrè, ibi: Jus possessionis. ff. de Acquirenda possessione, quam præter allegatos sequitur Covarrub. in Regul. posses. in mirio 2. part. num. 3. cum pluribus aliis quos ipse allegat, unde ad has opiniones conciliandas videndus est Corras. in Rubr. de acquirenda possessione, num. 3.

sicuti causa & causatum. Item, sicut ex actu & exercitio servitutis resultat jus servitutis & possessio ejus, ut in leg. 3. §. Dare de Usufruct. & in leg. Quoties de servitutib. ita ex isto actu quæritur possessio juris. Et sicut ex obligatione quæritur actio; ita ex possessione oriuntur interdicta.

In quo unum nota & considera subtile & necessarium, quod licet possessio sit de jure naturali primævo respectu eorum quæ illo jure fiebant occupantis, vel respectu eorum quæ fiebant communia; & postea magis genericè fuerit de jure gentium in omnibus rebus, postquam dominia fuerunt distincta, ut in leg. Ex hoc jure cum materia. ff. de Justitia & jure, & probatur apertè in leg. 1. ff. de Acquirend. posses. tamen illo jure non erat aliqua possessio juris, sicut hodiè; nec erat quid diversum ab ipso actu & apprehensione: nam ipsemet actus & apprehensio naturalis idem erat quod ipsa possessio: ita probat textus expressus in leg. 1. in princip. ff. de Acquirend. posses. & ita expressè tenet & declarat Paul. ibi 2. column. in medio, num. 8. Imol. penult. colum. fin. Cuman. 2. column. in fin. & notabiliter Vincent. 36. column. in med. n. 85. Ex quo infertur, quod illo jure non consistebat in jure, sed in facto: Item, non erat distinctio possessionum civilis & naturalis, sed unica tantum, & dicebatur naturalis. Item, tantum durabat illa possessio, quantum quis insitebat naturaliter in re possessa; unde, eo ipso quod desinebat operari, & sic retinere rem, desinebat ipsam possidere: Item, non erant prædicta remedia possessoria pro illa possessione sola recuperanda vel retinenda: Item, non erat inventus aliquis actus fictus acquirendi possessionem, sed tantum naturalis, vel corporalis, quæ omnia apertè probat text. in ista leg. 1. ibi: Quia naturaliter tenetur ab eo qui ei insistit, intentio Doctorum ubi supra. Et sic omnia ista & alia fuerunt inventa & ordinata de jure civili positivo: & maximè ostendit, istam possessionem inventam de jure naturali, vel gentium, ut patet in processu hujus materiæ; quod nota, quia est novum, singulare, & necessarium.

Item, ideo dicitur in definitione insistenti rei; quia propria natura, substantia, & effectus possessionis consistit in hoc, quod possessor insistet in re, & illam habeat, teneat, & possideat, & in ea non inquietetur vel molestetur ab alio; & ideo ad hoc principaliter sunt prodita omnia in-

interdicta, & remedia possessoria; & dicitur etiam ad differentiam domini, quod est jus plenum & perfectum disponendi de re, & eam vindicandi: ut dicit Bartol. in leg. 1. de Acquir. posses. 2. col. in fin. & in leg. Si quis vi. §. Differentia eod. tit. quem sequuntur omnes, & ego supra dixi. Præterea, dicitur etiam ad differentiam ususfructus; nam est jus utendi & fruendi salva rerum substantia, ut in leg. 1. ff. de Usufruct. & declarat Bartol. in dict. leg. 1. 2. column.

Item, ideo dicitur in definitione rei non prohibita possideri; ad differentiam rei quæ non potest possideri, ut rei sacræ, vel religiosæ, ut in leg. Qui universas, §. 1. ff. de Acquir. posses. & in leg. Inter Stipulantem. §. Sacram. de Verbor. obl. & sic patet, quod text. in dict. leg. 1. ff. de Acquir. posses. dum dicit, possessio appellata est à pedibus, ut Labeo ait, quasi pedum positio; quia naturaliter tenetur ab eo qui ei insistit: non ponit definitionem possessionis, sed etymologiam vocabuli, secundum Gloss. 1. & omnes Doctor. ibi: Nam duo sunt instrumenta naturalia, instrumenta principalia, sive actus naturales acquirendi possessionem; sed pedes ad acquirendum possessionem rerum immobilium quæ pedibus calcantur: ita text. in dict. leg. 1. text. in leg. 3. in princip. ff. de Acquir. posses. manus, ad acquirendam possessionem rerum mobilium; text. in leg. 1. §. Adipiscimur, eod. tit. ibi: Aliquid in manu ponat. ita Paul. de Castr. in leg. 1. Eodem tit. 1. column. versic. Item nota. Aret. ibi, col. 1. in princip. num. 2. Alexand. ibi, 2. column. in 3. notabili. Vincent. ibi, in princip. 1. notab. & Jas. ibi, 1. column. post princip. ideo sumpta est etymologia ab illo instrumento naturali, scilicet pedum, & vocatur pedum positio. Et si iterum quæras, quare magis denominatur ab illo, instrumento quam ab alio, scilicet manuum? dico, quod possessio rerum immobilium est dignior & magis conservatur & retinetur: possessio verò rerum mobilium vilis & abjecta est, & faciliter perditur, ut in l. 3. §. Nerva filius, isto tit. & in l. Rem quæ nobis, & in leg. Si rem mobilem, eod. tit. ideo à digniori fit denominatio. Ita Paul. & Jas. in dict. leg. 1. colum. 1. post princip. Vel aliter & secundo potest dici, quod ideo denominatur à pedi-

bus, quia pedes sunt firmum totius corporis sustentaculum, & habent se ad corpus, sicut bases ad columnam: ita Bald. in rub. de causa posses. & propriet. 1. column. in princ. n. 2. (h)

Item principaliter quæro: Quotuplex sit possessio? Et iste articulus est subtilis & necessarius: in quo dico, quod videtur quod unica tantum sit possessio: Primò per text. in dict. leg. 1. ff. de Acquirend. posses. qui dicit, possessio appellata, &c. & sic loquitur in singulari, & similiter tota rubrica. Secundò pro ista parte facit bonus text. in leg. 3. §. Genera. eod. titul. cujus verba sunt: Et in summa magis, unum genus est possidendi, species autem infinita sunt. Similiter in leg. 3. §. Ex contrario, ibi: Quotiam in summa possessionis, &c. Tertio facit text. in leg. Licet. Cod. eod. in princip. ubi, licet possessio acquiratur corpore & animo; tamen, postquam est quæsitæ, solo animo retinetur; & sic unum est jus resultans ex actu corporeo, & sic ex apprehensione, quod vocatur possessio, & retinetur animo. Quarto text. in leg. 1. §. Sive autem corpore, in fin. ff. de Vi & vi armat. ubi dicitur, quod si animo possidens in absentia, prohibeatur post reversionem fundi ingredi, dicitur dejectum per vim de possessione, quam animo retinebat, licet non corpore: & sic clarè vult, quod illamet possessio numero quæ retinetur animo, est eadem cum ea quæ corpore retinetur: ergo una tantum est: cujus verba sunt: Admissi enim ei possessionem quam animo retinebat, & si non corpore; & illum textum ad hoc inducit Socin. in ista leg. 1. fin. column. Quinto pro ista parte facit viva & subtilis ratio: Nam si in jure nostro esset plusquam una possessio, maximè illud consideraretur tempore acquisitionis & productionis in esse: sed illo tempore tantum una in singulari consideratur, & non plures; modò quæramus per nos, modò per alium: ergo non est danda pluralitas possessionum: text. est in leg. 1. §. Adipiscimur, & in §. Item acquirimus, eodem tit. Sextò facit, quia quando per legem tractatur de amittenda possessione, & penitus abdicanda à possessore, vel de illa retinenda vel conservanda; semper Jura & Consulti loquuntur in unica tan-

(h) Hanc etymologiam probat Bartol. in leg. 1. num. 1. de Acquirend. posses. Alberic. Cuman. Paul. Imol. Aretin. Alexand. & Jas. ibi, receptamque testatur Rip. ibi, num. 1. Bolognet. n. 11. & ex novioribus Cuman. lib. 3. cap. 8. num. 1. Covarrub. 1. part. rubric. de Testament. num. 3. Charondas, lib. 1. Verosimilium cap. 6. versic. 1. Castill. Dialogo. 73. num. 2. probatque ex leg. regia 1. tit. 30. part. 3. licet non à pedibus, sed à sedibus dictam possessionem fuisse contentur defendere Alciat. cum Gloss. in leg. 1. verb. A pedibus, & in lib. 1. disputation. cap. 1. Corras. in dict. leg. 1. num. 1. & in §. Nihil commune, num. 5. Vigil. in princip. inst. de Testam. num. 3. Othoman. de Verbis juris, verb. Possidere, Isidor. in cap. Jus gentium 1. distinct.

Anton. Gomez, ad Legem Tauri.

Hh

tantum & sola possessione: text. est in leg. 3. §. In amittenda, eodem tit. text. in §. Si quis nuntiet. text. in §. Quod si servus, & in §. Nerva filius, & in §. Si rem, ejusdem legis, text. in leg. Si rem mobilem, cod. tit. Septimo facit text. in leg. Pupillus. ff. de Acquirend. rerum domin. ubi dicit text. quod pupillus non potest alienare aliquam rem; & ne quidem possessionem, quæ naturalis est: & sic videtur probare, quod una sit tantum, & illa est naturalis; licet aliqui illum textum in contrarium considerent. Et istam sententiam & conclusionem, quod unica tantum sit possessio, tenet Azo. in summa Cod. de Acquirend. possess. 2. column. in princip. num. 3. & tenet Placentin. Glossator antiquus, quem refert. Gloss. in leg. 1. ff. Eodem tit. in verb. Ait gloss. ordinaria in leg. Si ut certo. §. Si duobus vehiculum. ff. Commod. in gl. mag. in fin. & tenet Jacob. de Puteo, & Petr. de Besucio in dict. leg. 1. quos refert ibi Jas. 13. column. num. 54. & istam opinionem tenet ibi Francisc. de Rip. 6. column. num. 27. & tenuerunt plures ex Neotericis, post Azon. & Placentin. relatos à Gloss. in leg. 1. de Acquir. possess. quos videre poteris ad leg. 65. ibi possessio, &c. & istam videtur expressè approbare leg. 12. tit. 30. 3. part. & sensus horum Doctorum est, quod unica tantum sit possessio; & illa naturaliter tenetur, quando possessor insistit in re: civiliter verò, quando eam retinet animo in absentia.

Sed his non obstantibus, teneo contrariam sententiam, imò, quod sit duplex possessio realiter & in substantia distincta, una naturalis, alia civilis. Pro qua sententia & conclusione primò facit text. in leg. Clam possidere. §. Qui ad nundinas. ff. de Acquir. possess. ubi expressè dicitur, quod absens possidet, & similiter ingressus possidet: ergo unus civiliter, & alius naturaliter; & sic duplex est possessio realiter distincta. Nec potest dici, quod una & eadem possessio sit penes illos: Quia impossibile est quod una & eadem possessio sit penes duos in solidum, vel secundum naturam, vel secundum artem: Text. est formalis in leg. 3. §. Ex contrario, eod. tit. cujus verba sunt: Ex contrario plures eandem rem in solidum possidere non possunt: contra naturam quippe est, ut cum aliquid ego teneam, ut quoque id tenere videaris. Text. in leg. Si ut certo. §. Si duobus vehiculum. ff. Commod.

(i) Hanc eandem sententiam defendit Bolognet. in leg. dict. leg. 1. num. 204. de Acquir. possess. Corras. in Rubr. ejusdem tit. num. 4. & in §. Nihil commune, in praludiis, num. 6. Menchac. de Success. creat. §. 21. num. 108. Covarrub. in Reg. possess. in initio, 2. part. num. 3. licet plures alii contendant unicam tantum possessionem esse ut videre licebit in leg. 65. infra, ante num. 1. ibi: Possessio est jus insidenda rei, &c.

ibi: Et ait, duorum quidem in solidum dominium vel possessionem esse non posse. Text. in leg. Duo in solidum. ff. de Precario. cujus verba sunt: Nam nec justè nec injustè possessiones duæ concurrere possunt. Confirmatur: quia lex numquam fingit, nec potest fingere super eo quod est impossibile de natura in genere: text. est in leg. Qui ad certum. ff. Locat. text. in leg. Certè, in princip. infra de precario. text. in leg. Adoptio, la 1. ff. de Adopt. text. in §. Minorem. Instit. de adoption. text. in leg. Lex Cornelia. prope fin. ff. de Vulg. & pupil. ibi: Quia non efficitur per eam, &c. text. expressus in leg. Mulier, in fin. ff. de Verbor. obligat. text. in leg. Qui decem. §. fin. ff. de Solution. tenet ita Glossa ordinaria in leg. Gallus. §. Si ejus, de liber. & posthum. in gloss. fin. prope finem, & ibi Bartol. Paul. & communis opinio Gloss. Bartol. & DD. in leg. 3. ff. Pro socio, tenet magistraliter Bartol. & ibi qui pro emptore. ff. de Usucap. 9. column. n. 12. idem Bartol. in eadem. ff. de Duobus reis, tenet latè & notabiliter Jas. in dict. leg. Si quis pro emptore. ff. de Usucap. num. 241. (i) Imò, quod magis est, fictio non cadit super eo quod impossibile est de jure positivo: ita solus Aretin. in dict. §. Ex contrario 1. column. post princip. Nec obstat si dicas, quod ibi in dict. §. Qui ad nundinas, non est duplex possessio, sed una; & ita tenetur ab ingressu naturaliter injustè, & ab absente civiliter justè: Quia respondeo, quod qualitas possidendi justè, vel injustè, non alterat naturam & substantiam possessionis; ut est text. formalis in dict. §. Ex contrario, text. in leg. Duo in solidum. ff. de Precar. text. in leg. 2. ff. Vti possidet. Item etiam, quia illud quod est unicum in substantia, non diversificatur propter qualitates, ut notatur in leg. 1. ff. Si cert. per. & in leg. Cui fundi de condition. & demonstration. & in leg. fin. §. Quoties de public. & vend. & per illum in dict. §. Quis ad nundinas, tenet ibi Alber. 3. column. Angel. 1. column. post princip. Imol. 2. col. in princip. column. num. 21. Roman. 1. col. Cuman. 2. col.

Secundò & principaliter pro ista sententia & conclusione facit text. in leg. Naturaliter eodem rit. ubi disponitur, quod fructuarius possidet naturaliter illam rem in qua habet usumfructum, & proprietarius possidet civiliter: Text. in leg. possess. quoque in princip. eod. tit. text. in leg. Cujuscumque. §. Si fundus. ff. de Usufruct. Tertiò fa-

facit text. in leg. Quemadmodum. ff. de Acquir. possess. ubi dicit text. quod sicut nulla possessio acquiritur sine corpore & animo, ita nulla amittitur: ergo textus ille in illa dictione universaliter dat intelligere pluralitatem possessionum. Quartò facit text. in leg. 1. §. Deicitur. ff. de vi & vi armat. ubi dicitur, quod illo interdicto non potest uti, nisi possessor; & dicit textus, quod sufficit quod possideat naturaliter, sive civiliter, & ad hoc notat eum ibi Bartol. Angel. de Perus. Quintò facit text. in leg. 3. §. fin. ver. Sciendum. ff. Ad exhibendum, ubi dicit text. quod actione ad exhibendum potest agi contra civiliter possidentem, vel contra naturaliter possidentem. Sextò facit text. in leg. Et habet, §. fin. vers. Placet. ff. de Precario, ubi est text. quod in re concessa precario, ille qui rogavit habet possessionem naturalem, ille verò qui concessit habet civilem: & ibi tenet communis opinio; & in leg. Pompon. §. Cum quis de acquir. posses. ergo clarè ibi patet, duas esse realiter distinctas possessiones; cum una & eadem non potest esse penes eos, ut in fundamento dictum est, & ad hoc illum textum notat ibi expressè Angel. de Perus. Septimò facit text. in leg. Nemo ambigit, Cod. de Acquir. possess. ibi: Duplicem esse rationem, aliam quæ jure consistit, aliam quæ corpore, &c. sic clarè probat, quod sit duplex possessio. Octavò facit subtilis ratio: Nam civilis possessio est illa quæ causat præscriptionem: text. est in leg. Acquiritur, §. fin. de Acquir. rer. domin. Si ergo esset unica possessio, vel duæ ejusdem speciei, operarentur eundem effectum; sed non operantur eundem effectum, ut ex dictis juribus patet: ergo prædictæ possessiones non sunt ejusdem speciei, sed distinctæ & separatæ. Nonò facit text. notabilis in leg. Si id quod, §. fin. ff. de Acquir. possess. ubi dicit text. quod si quis habet civilem possessionem in absentia, non perdit illam, licet alius occupaverit possessionem corporalem; nisi suspicatus est se posse repelli ab eo qui est in possessione; ergo clarè dat intelligere duas esse possessiones. Decimò facit text. optimus & expressus in leg. 3. §. Nerva filius, eodem rit. ubi dicit, quod in rebus mobilibus retinemus possessionem civilem in absentia, quatenus habemus facultatem nancisci possessionem naturalem; ergo naturalis est possessio distincta à civili, quæ nancisci possit, & ad hoc illum textum notat ibi Bartol. Ang. Imol. Paul. Roman. & Aretin. qui dicit, quod ibi melius quam alibi probatur, & commun. DD. Undecimò facit expressior text. & singularis in leg. 2. §. Quod vulgo. ff. Pro hered. ubi dicitur, quod regula quæ habet, quod nemo potest sibi causam possessionis mutare; debet intelligi, modò

Anton. Gomez, ad Legem Taur.

possessio sit civilis, modò naturalis: & ille text. non est alibi, secundum Din. Alber. & Angel. ibi, ad hoc in quantum loquitur in hoc articulo nominaliter nominando possessionem civilem & possessionem naturalem, & sic denotando substantiam rei, & est unicus secundum Bald. in leg. Licet, Cod. eod. tit. 2. column. in fin. licet corruptè alleget, & Paul. in leg. 1. ff. eod. rit. penult. column. post princip. Joan. de Imol. ibi 4. column. in princip. Angel. 2. column. in medio.

Istam sententiam & conclusionem scilicet, quod in jure nostro sunt duæ possessiones realiter in substantia distinctæ, tenet Din. per aliqua ex prædictis fundamentis, ubi notabiliter loquitur, in regul. sine possessione, de regul. jur. 5. column. versic. Ad cujus declarationem 1. est querendum, tenet Gloss. post Joan. Glossatores Antiqui in leg. 1. ff. de Acquir. possess. in verb. Ait, post princip. & tenet & sequitur ibi Alber. penultim. column. in fin. Paul. de Castr. ibi penult. column. in princip. Joan. de Imol. 4. column. in princip. Angel. 2. column. in medio. Rom. 5. column. in medio. Alexand. 10. column. n. 45. Jas. 13. column. num. 54. Vincent. 20. column. num. 53. istam etiam opin. tenet Angel. de Perus. in leg. Licet C. Isto tit. 2. column. num. 6. Paul. ibi 2. & 3. col. Bald. ibi 1. lect. 2. column. num. 6. Salyc. 4. column. 13. Fulgos. in leg. Si ut certo. §. Duobus vehiculum. ff. Commod. 3. col. Salyc. ibi 3. column. Paul. de Castr. 2. column. num. 7. qui notabiliter loquitur. Bald. notabiliter in leg. 1. Cod. Vti possid. 5. column. num. 12. Bald. in Rub. extra, de causa posses. & propriet. 2. column. num. 4. & istam conclus. tenet. Bart. in leg. 3. §. Gener. supra, isto tit. 1. opos. licet ipse in leg. 1. supra, ead. column. post medium, teneat novam & distinctam opinionem imò, quod sint tres possessiones realiter distinctæ, una civilis, alia naturalis, alia corporalis: quæ opinio communiter reprobatùr à DD. ibi. Et ista est magis communis opinio secundum DD. ubi supra: Pro qua communi sententia ego allego hodiè in nostro Regno legem 2. tit. 30. 3. part. quæ expressè istam opinionem fundat, & allego & considero expressiorem & clariorem legem in leg. 45. ll. Taur. Quod est summè necessarium pro intelligentia dicendorum, rejecta opinione Jacob. Butr. quam tenet in leg. Licet fin. column. Cod. Isto tit. ubi tenet, quod quando possessio est penes unum, sit unica possessio in substantia: sed quando est penes duos, sint duæ possessiones distinctæ: quæ opinio communiter reprobatùr. Item, rejecta opin. Bart. in dict. leg. 1. 3. column. dicentis esse tres possessiones realiter distinctas, scilicet naturalem, civilem, & corporalem: nam illa corporalis idem est quod naturalis, quæ

H h 2

opi-